



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Quod Christi Argumentum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Christi omittit particulam, *etiam*, sed vim illa habet. Disputant in 2.2. q. 31. Theologi, an opera misericordie sint præstantiora operibus religionis. Dicendum est ex suo genere, & natura, ex obiecto esse præstantiora, ex accidente crebro misericordie opera præferri. Quia maior est necessitas proximi. Vide D. Thom. 1. 2. art. 6.

VERSUS 19.

Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.

QUESTIO I.

Quando venit?

Non continuo, eodem sabbato, sed vt ait: Luc. 6.6. Factum est alio sabbato. Cum enim hac Christi defensione Pharisei irritati potius, quam sedati essent, viq; eum vt sabbati violatorem infamabant. Itaq; Christus publice in synagogam ad depellendam calumniam ingressus est. Lucas enim ingressu ait, vt doceret. Docuit autem de obseruatione sabbati. Et quantum quidem ex tribus Euangelistis colligitur nihil aliud, vt appareat quã sedulo calumniar occurrerit. Ratio erat vigentissima. Aduersarij homines pios, & legis amulatores contra eum incitabant, quod dicerent eum sabbati contemptorẽ; quin illud quod dixerat se dominum esse sabbati, & sabbatum factu propter hominem; quin & Davidis exemplum varie disputabant. Imo iam ad synagogam Pharisei venerant, vt eum obseruarent Luc. 6.7. *Obseruabant autem scribæ & pharisæi, si in sabbato curaret: vt inuenirent unde accusarent eum.* Occasione ergo vsus aridam manum sanauit, & verum sabbati cultum edocuit. Postea vero discessit ex synagoga, vt est apud Euangelistas. Itaque apparet ad vnicam hanc calumniam ex hominũ animis euellendam ingredi synagogam voluisse.

VERSUS 10.

Etece homo manum habes aridam, & interrogabant eum dicentes, si licet sabbathis curare? vt accusarent eum.

QUESTIO I.

An concorditer historiam narrent Euangelistæ?

Non est vlla repugnantia Marc. 3.4. Lucæ 6.9. cum Matthæo. Nam in synagoga erat homo ille, & ita constitutus, vt Iesu vicinisset, etiam forte rogaturum putabant. Obseruabant scribæ autem & Pharisei, si in sabbato curaret, vt inuenirent, unde accusarent eum, ipse vero sciebat cogitationes eorum, & ait &c. Itaque ipsi eum ante rogarunt: An liceret sanare, sed mala intentione vt accusarent, eo cognito, hominem surgere iubet, vt omnes miseria eius ad benignitatem commoueret, deinde generaliter rem proponit, vt eos pudeat, an liceret benefacere an male: nec de diuersitate laboris instantia dati poterat, illi enim hominem intrare synagogam siuerunt, consilabantur quomodo eum accusarent, optabant eum delinquentem, ne occasio accusandi deesset. Hæc mala cum facerent die sabbati, cur non mihi liceat velle eius salutem, dicere: *extende manum*, nã aliud non fecit; addidit quæ sunt v. 11. Quidam putant eos rogasse, vt Christu à miraculo faciendo auerterent, ne per illud docentis auctoritas cresceret. Commentarium fuisse, est in Euangelio Hebræorum, vt Hier. Comm. refert, vbi etiã plura de eo addantur. Oblatum à Phariseis putat Hi-

larius, Chryl. hom. 47. in medio constitutu, vt Pharisei ad misericordiam commouerentur. Rabanus manum interpretatur aridam synagogam. Sed vt soler spiritualiter.

VERSUS II.

Ipse autem dixit illis. Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnã? & si ceciderit hæc sabbathis in foveam, nonne tenebit & leuabit eã?

QUESTIO I.

Quod Christi argumentum?

Tale omnino quod vel ipsi impudentiæ ruborem incuteret. Si vos adeo sancti, adeoque sabbatorum accurati custodes, sabbato ouem è fouea educitis, vestrisq; seruitijs id præcipitis, verbis & opere laborioso, si enim huc modò locutum venitis, sed etiam tam animo peruerso, vt male agere me optetis: cur ego sabbati violator, si pauca verba pronuncio, si dicam *Extende manum tuam*? Cur obsecro mea vox breuis & efficax est sabbati violatrix, vestri discursus, & obrectationes sabbati sanctificant? Cur ouicula operosa liberatio sabbato cõuenit, hominis vno verbo parta salus repugnat? cum vobis male facere sabbato liceat, mihi non sit fas benefacere? Si opera expenditur, minor est mea, in paucis verbis tota. Loqui autem die sabbati, nulla lex vetat. In oue extrahenda verba, discursus, labor impenditur. Si effectus ipse, plurius est salus hominis, quam ouis. Homo animal sacrum est, non modo sabbato curandus, sed multæ etiam pro illo perdendæ essent oues. Quid? an medicis irascimini, qui magna operosaq; cura imo etiam pharmacorum tormento, insuper secando & vrendo hominem curant die sabbati? Tam magna, tam multa, tam ingeniosa, imo læuentia, & miseranda opera sabbati sanctitatem non contaminant, & mea verba efficacissimè medica, vt impia traducuntur? Indignes plane; Ideo Marcus ait c. 3.5. & circumspiciens cum ira, contristatus super cecitate cordis eorum. Nec tamen commendati sunt: Luc. 6.11. *Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem quidnam facerent Iesu.* & Marcus: exeuntes autem Pharisei statim cum Herodianis consiliũ faciebant aduersus eum quomodo eum perderent.

Nam in conspectu populi conuicti & pudenti, ad conuicti interrogata nihil respondentes, quasi iniuriam passi magis saferio ad ultionem confurgunt. Solent hoc homines uiuere, inflati, qui scelorum suorum admoniti, quasi contritum affectu exardescunt, & æternas simultates suscipiunt. Ita & hi v. 14. exeuntes autem Pharisei, consiliũ faciebant aduersus eum. Nam obdurati, conuicti peiores euadunt, pro *συμβουλὴν ἐλαβον*, alia exemplaria habent, *ἐπέβουλον*, quale fuit id quo noster vsus est.

[In vniuerso, inquit Melancthon, euangelio nihil aliud nobis proponitur, quam benignitas, mansuetudo, bonitas Christi, quem nos exactorem & carnificem fecimus, qui omnia nobis gratis dedit, non meritis operibus largitur se, & qui sit, vt puremus operibus nostris iuuari? At patroni liberi arbitrij, quid aliud hodie docent, quã vt quod in nobis est faciamus?]

Respondeo, in Euangelio Christi benignitatem proponi, qui immerentes iustificat, nec liberum arbitrium id mereri Christum tamen, non truncos hortari, sed eos qui gratiæ cooperantur.

VER.